

GENTILIS FVLGINATIS
de proportionibus medicinarum soluentium, &
de modo inuestigandi complexiones earum, &
ad sciendum conuenientem dosim cuiuslibet
medicinæ huiusmodi.

GRATIA lucidioris habitus, quem
Mesue denotat in modis, & propor-
tionibus medicinarum, quæ inuicem
confici debent; sicut etiam gratia la-
rioris scientiæ ad formas earum inue-
niendas, & doses earum compo-
sitionum magis proportionales, quam in libris reperitur
alijs, hunc breuem tractatum insequar. In quo osten-
dam omnem moderationem medicinæ laxatiuæ com-
positæ, & modos compositionis ex simplicibus medi-
cinis; & proportionibus ad eas attendendas, & doses propo-
sitionis earum secundum exigentiam huius artis; de-
clarando dicta quorundam super hoc.

Huius enim tractatus scientia est maxime necessa-
ria, propter ea quia libri sapientum ceciderunt iam in
adulterationem non propter venerabiles sententias ip-
sorum, & scientificas eorum compositiones, & canones,
sed propter scriptorum insufficientiam, vel negligen-
tiam. Etenim sicut processus in prole, speciem primi
Patris debilitat, donec iam non sit dignum nomen gen-
tium antiquæ proli radicaliter assimilari. Sic propter
scriptorum degenerationem, iam libri antiquorum vi-
dentur corrupti. Hoc declaratur, quia si Galen. libros
Hipp. copiasset proprio calamo essent libri Hippocr. au-
thentici, & completi; & si exemplum Gal. errore ma-
nus est ab illo deficiens, quanto ergo magis, cum idiora-
rum scribentium seminantur exempla?

Et quia libri theoricæ intellectu regulantur; libri au-
tem practicæ sola fide, quasi adhærendo experimentis,
Ideo scriptorum discrimen est maximum in libris pra-
cticæ; practicos autem canones nunquam recuperat in-
tellectus, quia (vt dixit Gal.) hæc pars non est scientia-
lis, sed experimentalis. vt Haly. Abb. tertio techni com-
mento. lxxxviii. Theoricos autem si dubitaueris, inue-
nit, ac imperfectos eos certificat intellectus, & complet.
cuius signum est, quod plurimi libri practicæ sunt cor-
rupti. Et si discurreis antidotarios, inuenies in eis maxi-
mam diuersitatem in ponderibus; sæpe enim scribitur,
vnc. pro libra. & drach. pro vnc. cuius error facit medi-
cum libris adhærentem esse medicum æquiuoce, vbi nō
perlustret cum huiusmodi scientia.

Hoc igitur opus breue nebulosam viam practicæ in
hac parte elucidabit; vt quis hanc doctrinam imitans,
textus male scriptos decidat, bene scriptos sequatur, &
eis adhæreat, donec doses medicinarum per se intelligat,
& per se ipsum male positas corrigat. sicut mihi pridie
contingit in nostro Almanfo. male scripto. c. de podagra.
vbi ponit descriptionem pilularum, quæ à multis alle-
gantur, scilicet pilularum, quæ non valentes incedere,
incedere faciunt, vbi ponitur in vna dosi quarta pars
drachmæ scammoneæ, quæ est xv. grana, & hoc est erro-
neum. & ideo scripsi in margine, scammoneæ quarta pars
vnius scrupuli, & remouit drachmam, & tunc dosis est
fœlix, & pro certo ista littera, fuit eius. non enim tutum
est cum antidotarijs, & alijs descriptionibus sapientum
absque hoc tractatu procedere.

Diuisio huius libelli.

Continet tractatus iste tria capitula; nō enim scien-
tia proportionibus medicinarum simplicium ordi-
natur, nisi ad doses compositarum medicinarum inue-
niendas, proportionibus autem tales sunt duæ. vna est me-
dicinarum simplicium respectu totius, alia est propor-
tio simplicium medicinarum inter se. Ex prima propor-
tione inuestigatur complexio medicinæ laxatiuæ com-

A posita, ex alia inuestigatur compositio medicinæ laxati-
uæ compositæ. Sunt ergo tria capitula in toto.

De proportionibus simplicium ad totum compositum, id est
de complexione medicinæ laxatiuæ. Cap. 1. fol. 269
De proportionibus medicinarum simplicium inter se, id est
de compositione medicinæ. Cap. 2. 269
De dosi earum per has proportionibus inueniendâ. Cap. 3. 269

Partis Executiue.

Cap. 1.



Complexio autem medicinæ laxatiuæ, est du-
plex, vt ad præsens spectat. quædam est ex
primis qualitatibus resultans, quomodo di-
cimus, q. medicina laxatiua est calida, vel
frigida, in tali, vel tali gradu. Alia est com-
plexio resultans ex qualitatibus primis, per quas medi-
cinæ habet operationes tertias, vt dictum est quinto col-
liget, & ibi vide bene ad litteram. & talis plus habet dici
forma compositi, vel qualitas, quàm complexio. nam
complexio proprie significatur ex qualitate tangibili.

De prima ergo dicendum, q. medicinæ simplices in
cōposito laxatiuo: vel sunt eiusdē cōplexionis, vel diuer-
sæ. Sed eiusdē. Vel sunt in eodem gradu; vt cum cōmi-
scemus crocum, & mannam, quæ ambo sunt eiusdē cō-
plexionis, & gradus. Vel sunt eiusdē cōplexionis, & non
gradus: vt cum cōmiscemus crocum cum garyophyl-
lis. Est n. crocus calid⁹ in primo, garyophyllus in tertio.

Quare si miscentur medicinæ eiusdem complexionis,
& gradus, tunc complexio medicinæ est nota, quia est il-
lius complexionis, & gradus, cuius complexionis, & gra-
dus est vnaquæque earum simplicium medicinarum; il-
lius gradus, & complexionis est medicina composita. vt
confectio ex cinnamomo, mace, & galanga, est in secun-
do gradu caliditatis secundum vnamquamque earum;
quia vnaquæque earum est in eodem gradu.

Et si aliquis diceret, q. medicina ratione suæ quanti-
tatis excedit gradum suum, vt secunda primi, capitulo de
eo quod comeditur, & bibitur; & ideo plures medicinæ
eiusdem gradus videntur eleuari super illum gradum.

Dicendum, quod illud est per accidens.

Et illud etiam non est ad propositum. quia de tali me-
dicina composita, tantum damus, quantum daremus de
vna istarum simplicium. Si enim fieret confectio ex solo
cinnamomo, daremus de ea vnciam semis, sicut de tali
simplici daremus vnciam mediam.

Sed dices, quare ergo fit compositio, ex quo sunt eius-
dem complexionis, & gradus?

Dicendum, quod propter alias proprietates, vt in con-
fectione de cinnamo. in operationibus secundis, simpli-
cia habent alia, & alia iuuamenta, licet sint eiusdem gra-
dus, & complexionis. v. g.

Nam miscendo galangam cū cinnamomo, quæ sunt
eiusdem gradus, & complexionis; aliud tñ iuuamen-
tum, ex operationibus secundis habet galanga, q. cinna-
momum, q. galanga reaggregat partes stomachi relaxa-
tas; cinnamomum autē subtiliat, & aperit vias, & macis
confortat cor. Et licet conueniant in gradu qualitatis
eiusdem, vel complexionis; non tamen conueniunt in
secundis qualitatibus. & ista compositio debet fieri, quia
vna medicina habet proprietatem iuuandi, vel nocendi
vnum corpus; & non aliud; immo vñū mēbrum, & non
aliud; immo vna hora, & non alia. Ne ergo cadat error,
miscentur plures eiusdem virtutis, quia licet galanga
inimicaretur vni membro, cōferret tamen pluribus, cō-
miscemus sibi medicinas eiusdem virtutis, vt ex toto re-
maneant securitas curationis. & causam huius permi-
ssionis medicinarū, nunc cum vna, nunc cum alia, tan-
git Auic. quarta primi capitulo primo; & secundo can.
cap. de lacte, & iij. can. fen x. cap. de cura asthmatis, &
xxij. tertij, cap. de dolore iuncturarum, & Gal. 3. Thera-
peut. Inspeciebat naturarum diuersas proprietates.

Et hic non quero, vtrū mensuræ secundarum quali-
tatum, & tertiarum sequantur mensuram primarum, sed

Mesura.

G G g

de

Complexio
me. laxati-
ua duplex.

* Secūdu.

Diuisio me-
dicinarum.

* Composita.

* erroris.

de hoc apparebit tibi, si legas quinto Colliget capitulo liij. Si autem medicinae sint eiusdem complexionis, & non gradus, tunc oportet considerare actionem, & resistantiam graduum ad inuicem.

Et in hoc errauit vehementer Bartholomaeus Varignana in tractatu suo dicens, si medicina componatur cum similibus in complexione, quod eius complexio est tanto intensior, sicut si componeretur ex pluribus calidis, esset calidior, quam si ex paucioribus.

Sed hoc est contra principia medicinae, nam aliqua medicina composita ex aliqua vna re calida solum est calidior aliqua composita ex viginti calidis rebus.

Et pro tanto sumitur dictum Domini Auicennae v. Canon. & Auer. v. Colliget capitulo liij. quod quando cum medicina magis calida componitur minus calida, medicina magis calida remittitur, & secundum quam est maior distantia eorum ad inuicem, secundum hoc est magis calida maior remissio. Et hoc idem probatum est in Physica. nam magis tale per participationem sui contrarii fit minus tale, de hoc etiam determinatum est super libro de differentiis febris. Dico ergo, quod si cum medicina calida in primo addatur medicina calida in iij. sicut crocus piper, quod tunc medicina calida in iij. vel iij. remittitur ad aliquem numerum siue mansionem suae latitudinis. Omnis enim gradus, tres numeros, siue mansiones habet, ut exponit Haly. & plusquam commentator in technica, & ideo Galen. ponit exemplum in numeris, & non in gradibus, ut plusquam commentator commento. viij. sed de hoc non expedit disputare. sed tamen Auic. & Auer. concedunt talem resistantiam, & oppositionem inter medicinas diuersorum graduum, & complexionis eiusdem existere, & quod gradus non sunt aequales in perfectione, & quod gradibus accidit imperfectio ratione participationis sui contrarii, positiue, vel priuatiue, & nos declarabimus super secundo de differentiis febris. & super ij. Colliget, si Deus voluerit.

Item est intelligendum, quod tales medicinae, quae sunt diuersorum graduum sociantur cum debita quantitate utriusque. nam vinum debile, si addatur in vino magnae virtutis in aequali quantitate, aut in media parte, tunc remittit illud. v.g. Cyathus vnius cum cyatho alterius, aut medietas vnius cyathi paruae virtutis cum cyatho magnae virtutis debilitat omnino fortitudinem maioris.

Sed si parua quantitas pura vni. i. debilis vini addatur cum cyatho vnius fortis vini, & potentis, non permutabit ipsum, quoniam propter paruitatem suae quantitatis habet proportionem vinum debile respectu illius fortis in permutando.

Et eodem modo intelligendum est de societate medicinarum. Si enim misceantur piper, & crocus in quantitate aequali ver. gra. remittetur piper ad secundum gradum, & eleuabitur crocus ad secundum gradum, & si misceatur crocus in media parte cum piper. e. remittitur piper ad tertium gradum, & eleuatur medietas croci ad tertium gradum, quia propter paruitatem quantitatis croci, virtus eius resoluitur, non potens remittere ipsum ad secundum, & si superat quantitas croci quantitatem piperis, absque proportionem trahet piper virtutem croci ad quartum gradum.

Quantitas ergo consueta apud practicos est aequalis ponderis, aut parum excedens, aut in duplo quandoque, & quandoque est quantitas medietatis. In istis enim quantitatis fiat proportio actionis, & passionis, & illud oportet considerare sicut dictum est.

Et Auer. innuit contra hoc vnam rationem difficile, quia si medicina calida in primo remittit medicinam calidam in quarto ad secundum gradum, sequitur quod medicina calida in primo, & frigida essent eiusdem complexionis. probatur consequentia. medicina frigida in primo associata calide in quarto remittit calidam in iij. plusquam remittat calida in primo, ut notum est, sed non potest eam plus remittere, quam ad secundum gradum, ergo, &c. Praeterea frigida in quarto associata calida in quarto remittit ipsam ad gradum secundum, & contra,

quia non potest eam remittere simpliciter.

Respondetur, quod medicina frigida in primo remittit calidam in quarto ad ea. in primo, sed medicina calida in primo remittit eam ad calidam in secundo, vel si haec remissio non est punctualis (ut dicitur) tamen fit remissio magis calida, & minus calida de mete Auer. & omni.

Ad secundum dicitur, quod ex medicina in quarto gradu calida, & frigida in quarto, non fit remissio ad gradum, sed fit temperamentum. Et est alia ratio sophistica, quam scribit Alchindus, quod minus calidum associatum magis calido intendat magis calidum, & non remittat. Et expecto soluere Deo duce super v. Colliget, & c. ratio fiat in hoc, Sumo vnum corpus, in quo caliditas sit in tertio gradu, & frigiditas in primo, & vocetur garyophyllus, sumo aliud corpus, in quo caliditas, & frigiditas sint aequales, ita quod habeat duos gradus caliditatis, & duos frigiditatis, & vocetur zuecharum; tunc arguitur, maior est proportio actionis a calido in duobus gradibus ad frigidum in vno, quam sit proportio calidi in tribus gradibus, ad frigidum in duobus, sed in garyophyllis est frigiditas vnus gradus, quae contra operatur caliditati zue. In duobus gradibus, & in eodem est caliditas in tribus gradibus, quae contra operatur frigiditati zue. in duobus gradibus: ergo associatis garyophyllo, & zuecharo, caliditas zuechari plus remittit, vel corrumpet frigiditatem garyo. quam caliditas garyo. frigiditatem zuechari propter maiorem proportionem, quare augebit caliditatem garyo. & non remittet eam. Et ratio fiat in hoc, quod praesupponitur in medicina calida esse frigiditatem in actu, & tunc erit in omni parte in qua est etiam caliditas.

Et hoc est impossibile, & hoc negabitur in praallegato capitulo, quoniam experientia praetitorum huic est contraria. Sit igitur ex dictis mensura complexionis medicinae compositae ex medicinis simplicibus diuersis in gradu, & non in complexione. Si autem medicina sit composita ex diuersis in complexione, tunc vel ista sunt aequalia, vel inaequalia, siue diuersa.

Et est considerandum, quod aequalitas, vel diuersitas attenduntur penes tria, scilicet numerum, quantitatem, & virtutem.

Si ergo sunt aequalia in quantitate numero, & virtute, tunc complexio compositi est media inter illa. Etenim quia contraria agunt inter se, & quia sunt equalia in virtute, non agunt positiue, sed remissiue aequaliter refrangendo in se naturam medij.

Si autem sunt aequalia in virtute, & non in quantitate, ut quod sit in eo medicina frigida in tertio gradu, & sit quantitas drach. ij. & sit medicina calida in tertio gradu, sed quantitas vni. s. tunc quia ratione quantitatis maioris, actio plus continuatur, & perdurat, remittetur pro certo medicina frigida in aliquo gradu, & tunc compositum declinabit ad calidum, & non ad medicinam, quoniam quantitas est causa intensificationis graduum, sed per accidens, ut in cap. de eo quod comeditur, & bibitur, ut v. Colliget capitulo penultimo. Et non imaginor aliam causam modo, nisi quae dicta est, quoniam in maiori quanto virtus actionis plus perdurat. Et eodem modo intelligendum, si sunt in medicina composita medicinae simplices aequales in gradu, sed inaequales in numero, quia plures de calidis, quam de frigidis, aut e conuerso.

Si autem sint medicinae diuersae in complexione, & vna habeat excessum in gradu super aliam, tunc praedominante gradu, dicitur totum compositum esse tale, ut si sit vnum componentium calidum in quarto, & aliud frigidum in primo, hoc compositum diceretur calidum, non tamen in quarto, sed secundum resistantiam, ut dictum est supra. Quia si calidum minus reducit magis calidum ad remissiorem gradum, multo magis frigidum, & hic est canon. Auer. s. Col. penultimo capitulo.

Considerare tamen oportet, quod mixtio talium debet fieri secundum quantitatem proportionatam, non dico aequales in pondere, sed in proportionem, v.g. chamamille vni. ij. in min. calida, quod piperis drach. ij. sunt ergo summae quantitates sicut

Caelo se-
cunda com-
plexio.

Nata.

Digestio in
qua ponit
dubia.

sicut inuestigat Auer. cum quibus saluentur operationes illorum simplicium; vt d. Gal. tertio de complexionibus c. tertio, quod modica quantitas ignis non calefacit.

Et hæc est scientia inuestigandi complexionem primam in compositis laxatiuis.

Dicendum nunc de complexionibus, siue forma laxatiui, vt solutiuum est, & totum hoc dependet ex prædictis, supponendo gradus in medicinis laxatiuis. Omnes enim medicinae laxatiuæ sunt eiusdem formæ, quia omnes mouent per acuitatem. Ita quod etiam illæ, quæ mouent comprimendo habent aliquas partes acutas, per quas proportionantur ad determinatum humorem, & ad actum solutionis, quamuis præter acuitatem habeant aliam formam specificam, per quam solunt, vt dictum est in principio huius libri.

Differunt ergo medicinae laxatiuæ secundum gradus. Quædam enim sunt in primo gradu, secundum quod Bartholomæus recte exponit. vt quæcunque sunt in extremo debilitatis, vt aqua lactis, mel rosæ, succus absinthij, succus rosæ, syrupus viola, &c. Quædam in secundo, vt quæ excedunt primū, vt tamarindi, casia fist. manna, & quædam species myrobalanorum, Epithymi, sene, & similia. quædam in tertio gradu, vt solutiua euacuantiæ attrahendo. Talia enim sunt solutiua fortia, vt aloë, turbit, agari, hermodactylus, polypodium, rheubarbarum. Quædam in quarto, vt vehementer acuta, sicut elleborus, ciula, cataputium, mezereon, colocynthida, scammonæa, ferapinum, &c. Et hos gradus inuestigat Auer. v. Colliget capitulo penultimo.

Et quia omnes isti gradus sunt sub eadem forma, siue sit talis forma manifesta, vel occulta, non sequitur, quod plus remittit minus solutiua medicina magis solutiua, quam remittat eam medicina nullo modo solutiua. Et causa est, quia inter solutiuas non est diuersitas graduū penes participationem contrariæ formæ, quæcunque sit illa forma; sicut est in gradibus primarum * qualiū. Et hæc est sententia Auerr. v. Colliget, capitulum viij. Vbi assignat causam, quod si iungatur medicina minus aperitiua, magis aperitiua; q. medicina magis aperitiua remittitur, quia * oppositio ad oppilationem in medicina debilis aperitionis est maior, quam * oppositio eius in medicina fortis aperitionis.

Et in hoc videtur contradixisse sibi Bartholomæus, cum dixit in fine tractatus, quod si iungatur scammonæa cum alijs medicinis solutiuis, debet dari in minori dosi, quam si iungatur cum digestiuis, quia iuuant operationem suam. Et in eodem dixerat: q. si scammonæa adiungantur medicinis debiles, quod debet dari plus de ista medicina in quarto gradu. Et improbat eum similitudo, quam etiam ipse concedit in medicinis quo ad secundas operationes, & in medicinis, quo ad primas. Ideo dico, quod si associetur medicinis saltem primi, & secundi gradus; vt cum epithymo, & manna, &c. quod debet poni in maiori quantitate; & etiam si iungatur cum suis consolanantibus, vt infra. Cum medicinis autem tertij gradus est magna similitudo; & ideo inter eas non est magna resistentia; sicut enim modicum distans, ita modicum se alterant, sicut calidum in tertio, & calidum in quarto. Causa autem alterationis in diuersis gradibus est nota. Et quia proportionabiliter se habent medicinae solutiue ad quartum gradum, cum medicinis calidis, vel frigidis; ideo conclusio dicta supra de remissione medicinae frigida, composita, per societatem medicinarum diuersorum graduum est similis, & necessaria.

Vt dicamus, quod si medicina solutiua in quarto gradu, vt est scammonæa, addatur medicina solutiua in primo, vel secundo, remittit eam ad debiliorem gradum. v.g. si addatur scammonæa succus rosarum, vel aliqua medicina, primi gradus solutiua, quod tunc illud totum sit solutiuum in secundo gradu. & si addantur aliqua solutiua in tertio, vt turbit, &c. quod sit solutiua in fine tertij, vel in principio quarti.

Et hic notandum primo, quod hoc habet intelligi, vt supra dicitur, quod talis mistio fiat secundum quantita-

tem, in qua saluetur operatio simplicis medicinae, neque sit quantitas tam parua, vt cum ea non stet operatio, vt de scammonæa vsque ad quatuor grana, neque sit tanta quantitas, q. excedat operationem; vt cum damus de turbit vnc. s. & aloë, &c. sed sit quantitas proportionata, quia si est ibi de turbit, quanta est sua dosi naturalis ab vnc. j. vsque ad duas, & sit ibi de scammonæa quantitas naturalis. f. à granis quatuor vsque ad xij. hac. n. proportionem seruata apparet manifeste qd dictum est. Et si excedat quantitas vnius quantitatem alterius, fm hoc debet fieri proportio, vt supra ostensum est diligenter.

Secundo notandum, q. etiam isti gradus habent latitudinem, quia medicinarum solutiuarum in quarto gradu, quædam soluit plus, quædam minus: vt scammonæa in ultimo quarti gradu, & colocynthida in principio quarti.

Ex his ergo diligenter apparet, quæ sit forma solutiui, vt sumamus in exemplo confectionem de manna Gal. quam scribit Mesue in antidotario. Recip. manna dissoluta in succo rosarum lib. * j. scammonæa vnc. s. alia littera habet vnc. j. credo quod sit melior ista vnc. sem. vt patet infra tertio cap. hæc medicina composita habet medicinam solutiua in quarto gradu, sicut scammonæa, & habet solutiua in secundo, sed quia manna coniungitur cum aequali quantitate solutiui, in primo gradu, sicut est succus rosarum, ideo sit manna solutiua in fine primi gradu. & quia quantitates sunt proportionatae, quia in omni vnc. mannae ingrediuntur * drach. ij. scammonæa. Ideo remittitur solutiua in * quanto, ad solutiua in secundo, vel in fine secundi intenditur solutiua in primo, quæ est manna cum succo rosarum ad solutiua in fine secundi, quare talis confectio est solutiua in fine secundi.

Et ideo bene dixit Gal. quod est medicina benedicta, quia omnes tales secundi gradus sunt mouentes sine assuatione, & dosi in ista est vnc. s. Et ista sunt necessaria ad inueniendum doses medicinarum solutiuarum compositarum, sicut dicitur in tertio capitulo.

Considerandum etiam, q. non solum medicina minus solutiua remittunt medicinas magis solutiuas, verum remittit etiam eas societas medicinarum alterantium, præterquam sint solutiua, aut resistentium effectibus earum, vt dicitur in sequenti capitulo.

Et ideo quamuis in hiera Gal. sola medicina solutiua sit aloë, quod quidem est solutiuum in tertio, tamen quia soluantur medicina prædicta ei, remittitur ad finem secundi, sicut si addantur aloë, casia, myrobalani, absinthium, reducitur ad secundum gradum solutiui. & hoc sufficit ad inueniendum complexiones medicinarum, & proportionem simplicium respectu totius.

Capitulum secundum.

Nunc verò dicendum est de proportionem medicinarum simplicium respectu earum inter se. Talis autem proportio est debita compositio simplicium medicinarum, propter quod aduertendum, q. necessitas compositionis medicinarum solutiuarum est propter alterum trium. Velenim medicina solutiua est debilis, vel tarda, sicut turbit, aloë, &c. & tunc eget compositione, & societate medicinae acuentis eam, aut festinantis, & velocitatis operationes suas, sicut turbit miscetur zingib. &c. Vel medicina solutiua est maligna in complexionem suam, & hoc, aut in complexionem primarum qualitatum, quia si nimis acuta calefaciens: aut secundarum, quia vlcerosa, excorians: aut tertiarum, quia à proprietate habet aliquem malum effectum, vt aloë, & scammonæa habent aperire officia venarum. & tunc eget compositione ex societate insistentium, vt dicitur. Vel medicina, nec est debilis operationis, nec est maligna in se, sed non respicit determinatum membrum, à quo purgare volumus, & tunc eget societate medicinae deferentis eam ad membrum, his tribus modis compositio cum medicina solutiua est necessaria. Talis autem compositio non potest conuenienter fieri, nisi habita proportionem cadente inter simplicia, q. componi debent. Talis autem proportio est duplex, quædam est proportio formæ specificæ, vt cum dicimus

Mesue.

G G g 2

scam-

scammonea nocet cordi, vt dicit subtiliter Mesue, & cū hoc inflammat, & cum hoc aperit orificia venarum. Et sunt medicinae, quae habent proprietatem ad istas resistē-
tias, vt ambra à proprietate confortat cor, & crystallum in frigidat, gallae constringunt orificia venarū; non tamē permistio earum cum scammonea est utilis, quia non ca-
dit inter ea proportio à forma specifica; sed ponemus cū ea propter primum, spicam; propter secundū, camphorā, vel sandalos; propter tertium, tragacanthum, vel masti-
cem. Et ista proportio est inuenta per experientiam, aut prophetarum reuelationem, & de ista proportione non oportet prolongare, quia authores ponunt medicinas ha-
bētes adinuicem talem proportionem, vt dicam, nume-
rando species earum. Alia est proportio medicinarum, quo ad quantitatem, de qua excusat se Mesue; vt si zingi-
ber habeat proprietatem, & proportionē, primo modo sumptum ad turbitū; nescimus tamen proportionem quantitatis eius, & de tali proportione est hic intentio.

Secunda pars huius capituli, in qua ordinat se ad ponendum conclusiones.

Dico igitur, quod alterans aliud, vel alterat iuuando virtutem eius: & hoc dupliciter, vel acuendo, vel deferendo virtutē eius. Et tale alterās non oportet, quod sit aequale alterabili, sicut videmus, quod si quatuor ho-
mines non possunt trahere aliquam molem, addito ho-
mine vno, trahent eam: eodē modo, si medicina propter debilitatem non potest complere aliquam operationem, modico sibi addito complebit eā. Etiam illa, quae acuant vt plurimum medicinas, aut deferunt eas, sunt a uita, sed addere in medicinis acutis est cauendum, vt dicebat Me-
sue. Et idem infra quod omnis medicina laxatiua, quan-
to est vicinior temperamento, tanto melior, seu incolumior est. Debemus igitur medicinas simplices, propter praedicta iuuamenta necessarias, ponere in tanta dosi, quod ad dosim medicinā conuenientem veniat de praedicta medicina in minori quantitate. Vt si in vncia 5. laxatiui sit de medicina laxatiua dosi propria; vt si ponamus de aloe drachm. ij. sint de consolantibus drach. j. aut scrupuli ij. aut secundum exigentiam expurgandi corporis. Et communis quantitas harum cōsolantium, vel rectificantium est tertia pars, aut quandoque medietas. Vt patet in hiera, quam scribit Galen. vij. therapeut. capitulo ij. quod duae partes sunt aloes, & vna cōsolantium, vel tertia. & hic canon est conueniens dosi. Rec-
turbith electi drachmas duas, zingiberis scrup. ij. zuch-
ri duplum, vel agarici drach. j. 5. vel secundum quosdam medicos, vt agarici drach. j. salis gemmae scrup. 5. Aut propter ferocitatem salis, vt docet ad litteram Mesue capi-
tulo de agarico. Acuitas tamē salis gemmae est suspecta. & ideo ponimus in valde paruo pondere; quandoque, vt dicamus, agarici drach. j. salis gemmae grana ij. vel plus, vel minus, & hoc est per accidens. Et si volumus deferre ad caput, addimus spicā, vel nucis mulsae eandem quantita-
tem cum istis quantitatibus scilicet drach. 5. vel secundum quosdam medicos agarici drach. j. sal gemmae, scrup. 5. spicā, scrup. 5. cum aliquo syrupo.

Vbi oportet tamen, quod illa medicinae solutivae misceantur alijs medicinis remittentibus, vel debilitantibus, debemus addere in confortantibus operationes earum; & eodem modo oportet intelligere de alijs, quae associare oportet medicinis laxatiuis, vt alterent eas, propter iuuamentum virtutis debilis earum, aut deferant eas. Si autem alterans alterat propter malitiam, tūc hoc non conuenit, nisi in medicinis solutivis tertij, vel quarti gra. propter acuitatem earum, & venenositatem. & quia non quaeritur solum, quod venenositas medici-
nae remittatur, sed quod omnino prohibeatur à suo ma-
lo effectu. Et cum prohibitio alicuius operationis non possit fieri, nisi ab aequali in virtute opposita; ideo oportet, quod medicina, quae additur propter hoc iuuamen-
tum, sit aequalis quantitatis. Si medicina agat à forma specifica, sicut si. v. g. ponentur in solutiuo compo-
sitis scammoneae. gr. vij. ponemus mastiches, vel tragacanthi. gr. vij. aut plura, vt seru. 5. vel seru. j. aut gallae simili-

ter, sicut est dictū Mesue de colocynthide, quod detur cum ladano aequali quantitate, quia ladano à proprie-
tate resistit nocuentis colocynthidis. Et ratio est ista, nam effectus à proprietate, vel à forma specifica proue-
nientes, non possunt impediri, nisi à contraria disposi-
tione, quae sit virtutis aequalis; & hoc in his, quae agunt, non à complexione, sed à forma specifica, vt plurimum
stat cum aequalitate quantitatis. Dicitur enim, quod ada-
mas prohibet ferrum ab attractione à magnete, & tunc si drach. j. ferri debet attrahi ab vnc. j. magnetis, posita cum ferro drach. j. ad amantis non attrahet ferrum, oportet igitur, quod aequalia sint talia, quae mouent se-
cundum proprietatem. Est tamen aduertendum hic, vbi tales medicinae acutae non associantur cū alijs reprimen-
tibus complexionem eius; si autem associetur scammonea cum camphora, & succis frigidis, non egebit tanto mastiche. Nā formae specificae non agunt, nisi cū suis cō-
plexionibus, vt dicit Auer. vij. phy. commen. xxxv. quod magnes non attraheret ferrum, si fricaretur cum alijs, & charabe nō attraheret paleam, nisi calefiat. Ideo acui-
tas medicinae remittitur; remittitur autem secundū eū etiam operatio sua proprietate. & ideo indiget minoris societatis medicinae contrariantis sibi à proprietate. De-
bet ergo si medicina componatur simplex, poni cum ea aequalis quantitas resistentis, & hoc in operationibus, & effectibus à forma specifica. In operationibus autem caliditatis, & frigiditatis oportet, quod fiat resistentia per maiorem quantitatem. Cum illae sunt calidae in ter-
tio, vel quarto; ideo indigent pluri quantitate frigidorum, nisi sint frigida narcotica in quarto; & tunc iuffi-
cit aequalis quantitas, vt succi lactuca, vel nenupharis, vnc. 5. cum sagapeno vnc. 5. vel opij quantū granū len-
ticulae. Scammoneae tūc tūc, vel opij, & castorei; ponitur enim castoreū pro aequali quantitate, vt remittat opij stupefactionem, sicut est dictum Auic. in lib. de viribus cordis in sua notabili confectione. Raro tamen haec cō-
positio est necessaria; sed si debeamus in frigidare scammoneam, faciemus cum camphora, & sandalis, & femine acetosae, vel endiuiae, vel tragacantho, ponendo quantitatē in frigidantium maiorem, cum caliditas 4. sit acutior in actione scilicet omni frigiditate eiusdem gra-
dus, vt Auic. primo can. Fen quarta secundo, & tertio. c. & tertio can. fen 13. His igitur consideratis patet scientia scilicet compositionis, & proportionis medicina-
rum simplicium adinuicem.

De dosi medicinarum. Capitulū tertium.

Vlo modo inuestigandi complexionem medicina-
rum laxatiuarum compositorum, per quam dicū-
tur calidae plus, vel minus frigidae, humidae, siccae, &c. per quam dicuntur etiam solutivae in diuersis gradibus. Et viso de modo compositionis earum, & simplicium proportionem adinuicem, &c. Restat videre de dosi earum. & primo quādam in generali; secundo quādam in speciali. Dosis est duplex, quādam est dosi simpliciū, & de ista dicimus secundum quod authores scribunt. Alia est dosi compositorum, ad quam inueniendam est laborandum, propter corruptionem librorum ex parte ignorantiae scriptorum. Et ista dosi, quandoque sequitur quantitatem medicinarum laxatiuarum, quan-
doque proportionem partium adinuicem, per quam proportionem dicitur tota medicina laxatiua in tali gradu. Primo dicendum de secunda dosi, & secundo de prima. Primo igitur de dosi, quae sumitur à forma totius compositi, secundo de ea, quae sequitur compositionem partium simplicium.

Oportet scire, quod dosi medicinarum compositorum solutiuarum debiliū, vel solutiuarum in primo gradu incipit ab vnc. j.

Dosi medicinarum solutiuarum in secundo gradu incipit ab vnc. 5. Dosi medicinarum solutiuarum in iij. gradu incipit à drach. j. vel 5.

Dosi autem solutiuarum in quarto est diuersa, secundum, quod quartus gradus habet latitudinem manifestam, quādam sunt in ultimo acuitatis, vt eleborus, scammonea,

Nota.

Consolatiū med. dosi est tertia pars, aut quandoque medietas.

** magne
* magnem*

*Ciclosio cū
pleta prima
parte huius
cap.*

** ana dra.*

*Dosi dupli-
citer.*

*Dosi med.
solu. per com-
posi 4. gra-
dus.*

nea, scebram, mezereon, euphorbium, colocynthis. Quædam sunt non in ultimo quarti gradus, ut cucumer asininus, sagapenum, cataputia, serpentaria.

Dosis ergo primarum incipit à granis, secundarum à scrupulis. Verbi gratia, dosis succi rosarum simplicis, syrupi vio. mellis, &c. est ab vnc. j. vsque ad iij. vel iij. & serum caprinum vsque ad vj. vnc. ab inde infra scilicet ab vnc. j. non habent notabilem operationem, & ab inde supra scilicet ab vnc. iij. vel iij. ascendunt ad secundum gradum, solum.

Dosis autem secundi gradus solutiuum incipit ab vnc. s. vsq; ad vnc. j. s. ut dosis epithymi, fenæ, casia, tamarindi. Dosis tertij gradus solutiuum est à drach. j. vsq; ad drach. iij. vel ut plurimum ad ij. ut aloë à drach. j. s. vsque ad iij. agarici à drach. s. vsque ad ij. hermodactylorum à drach. j. vsque ad ij. vel iij. myrobalarum, rheubarbari, à drach. j. vsque ad vnc. s. Ideo ponuntur secundi gradus, dosis, turbiti, à drach. j. vsque ad ij. vel iij. & sic de alijs.

Dosis igitur quarti gradus in prima latitudine fiat cum istis tertij gradus, ut dosis cucumeris asinini est à drach. s. vsque ad drach. ij. dosis sagapeni est à drach. s. vsque ad aur. j. Dosis cataputia à drach. s. vsque ad drach. j. Sed si per cataputiam intelligitur granum regum, est magis solutiuum, & ponitur dosis à granis quinque vsque ad vij. vel x. dosis serpentaria est à drachm. s. vsque ad drach. j. scammonia à granis v. vsque ad x. vel xij. & quidam eleuant eam vsque ad xv. ellebori erit à xxij. granis vsque ad scrupulos ij. Sed Auicenna in libro de viribus cordis dicit, quod eius dosis est, grana xxij. s. & in decoctione drach. j. Dosis scebram, & mezereon etiam à granis iij. vsque ad xx. euphorbij est à iij. granis vsque ad xij. colocynthidis est à xij. vsque ad xx. Dosis autem lapidis sarceni, armeni, lazuli, ponuntur cum dosibus solutiuarum in tertio gradu cum sunt lori, & cum non sunt lori, ponuntur cum dosibus solutiuarum in quarto gradu primi ordinis. Et polypodium, & rheubarbarum tenent medium inter medicinas secundi gradus, & tertij, ideo dosis eorum est à drach. j. vsque ad aureos iij.

Quibus diligenter expositis, & superiori doctrina applicatis, patet qualiter, & quæ sit dosis conueniens medicinarum compositarum laxatiuarum, quoniam si inuenies eas in primo gradu, dosis est, quæ assignata est. & si in secundo, vel tertio, vel quarto, & c. & hæc doctrina iam declarata est supra.

Et ideo improbat, quæ facit Bartholomæus in dosi Auic. in tertio can. seu prima, de cura mania lupine, non videretur esse conueniens. & est exemplum, super quo ipse laborauit, descriptio Auic. est hæc Reci. pulueris hieræ, epithymi, scebradidis, ommum, ana partem vnam, myrobalarum, scammonia ana partem mediam.

Nam si consideratur, ex dicta doctrina tale pharmacum est solutiuum in tertio gradu, quoniam scammonia, quæ est quarti gradus sociatur cum equali pondere myrobala, qui sunt secundi gradus solutiuum; & cum hoc resistunt scammonia à complexione; & ut est communis opinio, corrigunt eius priuos effectus. quare quamuis myrobala non sint tanta acutatis in eadem quantitate, quantæ scammonia, tamen remittunt; deinde adduntur solutiuum secundi gradus, ut epithymi, & pulueris hieræ.

Quamuis enim aloës sit tertij gradus solutiuum, tamen cum puluere suo, ut dictum est supra, remittitur à tertio gradu, et cum contraria duo ponantur in quantitate dupla ad scammoniam remittitur virtus scammonia omnino à gradu suo, & descendit ad tertium gradum solutiuum. Sed dosis solutiuum in tertio gradu est à drachm. j. vsque ad iij. potest ergo (sicut Auic. præcepit) dari de eo drach. ij.

Et pro certo iste contradicit suis canonibus, improbando Auic. siue descriptionem eius. & hæc contradictio est satis publica, nam in suo tractatu eodem capitulo dicit; quomodo hæc medicina est in medio secundi gradus solutiuorum, & quarti gradus; sed talis est in tertio. & postea subdit, quod dosis est drach. ij. vsque ad vnc. s. & si mea verba concludunt in ipse respice.

Et causa erroris fuit, quia ipse opinatus fuit, quod cum additur medicina solutiuæ fortis virtutis alia medicina so-

lutiua, aut medicina iuuas eam, quod debet poni in minori pondere. Et ibi est error, & contra id quod ipse incepit, sed causa est, quia ipse non prospexit mentem Auerr. quinto colliget capitulo penultimo, sicut supra nos exposuimus est mens. Auerr. confirmantis mentem Gal. in de simplici medicina. Vnde in confectione de manna Galenus ponit in parua dosi, nec maior dosis scammonia, & hoc quia solutiuum id reducit secundum totum ad solutiuum in secundo gradu, quamuis sit ibi scammonia à predominio virtutis, sicut probatum est in fine primi capituli. & tamen in media vnc. totius confectionis de manna, quam dosim præcipit Mesue, ingreditur scammonia gra. x. illa est magna dosis eius apud Dioscoridem, Serap. Mesue, & secundum alios libros habetur, quod ponatur ad mediam libram manna vnc. j. scammonia, dr. s. & tunc in vnc. s. totius est scrup. j. scammonia, & illa dosis est extra limitem, quem vulgus ausus est. hæc igitur dosim scilicet vnc. s. confectionis de manna præcipiunt. Et ego semper vsus sum ea, quia tota illa medicina sit solutiua in secundo gradu.

Et non sit solutiua in secundo gradu, nisi quia medicina minus solutiua dimittit de virtute medicinae magis laxatiua. non ergo addunt in virtute eius, secundum quod iste æstimabat, & per consequens oportet, quod ponatur in minori dosi. Nisi medicina laxatiua quarti gradus societur medicinis laxatiuis tertij gradus: oportet enim tunc non addere in pondere, quia sicut dictum est, inter ipsas est propinquitas, nec est tanta distantia quanta cum solutiuis primi, vel secundi gradus: & per consequens non est tanta remissio, quare sufficit minor quantitas solutiuum in quarto gradu.

Et hic considerandum est de latitudine harum dosium, quia cum medicinae ponantur cum deferentibus virtutes earum, aut cum acuentibus eas, tunc debet poni in minori dosi. & cum ponuntur cum resistantibus, & remittentibus malos effectus, debent poni in maiori dosi. & medio modo se habente, medio modo debent poni, ut fecit Gal. in sua confectione prædicta, & ibi posuit taliter dosim ex eo, quod scammonia ponitur cum solutiuo debiliore, quia remouet operationem suam. patet ergo in communi dosi medicinarum compositarum, & maxime in pilulis, & pulueribus, &c.

Modo in speciali inuestigamus eam in confectionibus, & electarijs. Scias ergo quod à prædicto can. tu potes inuenire conuenientem dosim in libris, & inconuenientem improbare, sumendo in confectionibus, & electarijs gradum medicinae laxatiua, sicut dictum est.

Sed nunc alio modo inuestigandum est, scilicet ex quantitate medicinae laxatiua, quæ ingreditur in dosi compositionum.

Propter quod sciendum, quod in toto composito ex diuersis simplicibus, imaginandum est formam habere homogeneitatem, ita quod qualibet parte sumpta illius totius pharmaci sit eadem proportio simplicium ad inuicem, quæ est in toto composito, ut si in toto composito medicina solutiuæ sit tertia pars, in quacunque parte illius compositi, erit etiam tertia pars, et hoc est planum.

Nam si in misto prædominetur terra, in quacunque parte misti debet prædominari terra.

Hoc supposito, leue est videre, utrum doses medicinarum solutiuarum scriptæ sint conuenientes, supponendo vnum quod in dosi, quam tu propinas sit conueniens dosis solutiuarum, si ingrediantur ibi plura solutiuia; aut sit conueniens dosis vnius solutiuum, si solum vnum solutiuum ingrediat: ut in hiera Gal. solutiuum solum aloës est. oportet ergo tantum dare de illo electario hieræ, quod in illa dosi sit dosis aloës non excedens in magis, & minus. verbi gratia in toto electario, aloës est triplum ad alias medicinas, vel seic, ut vij. terapeut. capitulo vnde cimo. ergo in quacunque parte erit pars aloës tripla, vel seic. Et id conueniens dosis eius sunt drach. ij. et semis, quarum drachmarum ij. f. duæ partes sunt partes aloës, & est

Mesue.

G G g 3 dra-

drach. ij. sed drach. ij. aloes est dosis conueniens.

In hiera autem cum scammonia, dosis est drachm. ij. aut ij. v. quia acuitur scammonia ponendo in omni libra hiera simplicis, quæ est hiera Gal. drach. j. scammonia correctæ; sed vigesima quarta pars libra est drac. v. & vigesima quarta pars drach. est gra. ij. v. quare possumus de tali hiera cum tali quantitate scammonie dare vnc. v. quia scammonia solum acuit in hac dosi virtutem aloes, nec ipsa de se habet virtutem soluendi, cum ponatur in minori quantitate, quam si conueniens ad suam solutionem.

Aduertendum tamen est ab apothecarijs, qui hodie acunt vnam lib. hiera simp. & benedictæ, simplicis cum drach. ij. vno quarto scammonia, scilicet cum vnc. ij. & quidam ignari, & presumptuosi etiam addunt plus.

Sed apparet ex isto ca. quod vna drac. diagridij in vna libra medicinarum solutiuarum in quarto gradu, est in conueniens. Sed in tertio, vel secundo, est bonæ operationis sollicitans medicinas solutiuarum. nec est timor de effractione eius, cum non ingreditur cum quantitate, cum qua stet virtus solutiua, quæ est gra. ij. v. quæ dosis est vigesima quarta pars vnius drach. non sit dosis scammonia.

Oportet ergo allibrare in toto composito, qui vult conuenientem dosim inuenire, quantæ sit quantitatis in toto de medicinis laxatiuis, & quanta sit quantitas totius; deinde ponere dosim de ea, in quam cadit quantitas conueniens, vel dosis laxatiuorum simplicium, quæ ponuntur ibi.

Et si sint ibi plura laxatiua, non oportet quod de vno quoque ingrediatur dosis conueniens; vt si est ibi agarius, turbit, elleborus, scammonia, & aloes; non oportet, quod in vna dosi ingrediatur de vnoquoque drach. j. vel ij. quia sufficit, quod de medicinis vnius gradus, tanta quantitas ingrediatur, quanta est dosis vnius earum. Verbi gratia, si sint in vna medicina duæ medicinae, puta agarius, & turbit, aloes, & hermodactylus, sufficit drachma pro quolibet in vna dosi, quia sunt solutiua in eodem gra. Et si sit ibi scammonia, & mezereon, & quæ sunt eiusdem ordinis, sufficit inter omnes ponere tantum, quantum est dosis vnius solius, vt apparet in dosi, quam scribit in pilulis, in præallegato capitulo de cura mania, quod detur ex eis drach. ij. quod supra ostensum est contra Bartholomæum de Varig. esse conuenientem dosim. Et hoc ostensum fuit de dosi medicinae solutiua in se, quia ex solutiua in primo gra. potest dari tantum, & solutiua in ij. gra. tantum. & sic de alijs, vt supra patuit.

Sed ostenditur modo ex hac via (sicut dictum est) procedendo in electarijs, & confectionibus inuestigando quantum de solutiua ingreditur in dosi. solutiuum illud est. g. stachados, epithymi, hiera picra, an. partem vnā, scilicet drach. j. myrob. scammonia, an. partem mediam, scilicet drach. ʒ. in toto sunt drach. iij. cuius octaua pars est scammonia, & hæc octaua pars est drach. ʒ.

Igitur in dosi duarum drachmarum ingreditur pro octaua parte medietas scrup. j. scilicet gra. xxx. Et ista dosis non est erronea, quia datur scammonia (vt supra dictum est) cum declinantibus eam ad inferiores gradus. Nam primo miscetur cum æquali parte myrobalarum, qui sunt in primo, aut secundo gradu solutiuorum, postea iterum cum alijs solutiuis secundi gradus, sicut de epithymo, & picra in dupla quantitate, quare pro certo trahitur ad debiliorem gradum suæ operationis.

Et illud, in quo maxime errauit Bartholomæus, fuit, cum posuit illam medicinam esse in tertio gradu, & dixit, q. dosis medicinarum tertij gradus est à drac. j. vsque ad ij. vel iij. Si enim debebat hanc dosim reprobare, non debebat procedere illa via: sed debebat dicere, q. quantitas scammonia non erat in proportionem ad alias medicinas, propter multam quantitatem, quare non fit remissio scammonia, quanta expedit; & tunc reduxisset ad primum. Quia cum miscent scammoniam medicinis debilibus, ea potest poni in tanta dosi, quod hanc

E dosim suam maiorem non soluat. Et notum est, quod in his pilulis non est solutiuum forte nisi scammonia, quantum ad virtutem, & debilitatur scammonia propter admixtionem solutiuorum debilium, vt visum est in primo capitulo. Si ergo in hac dosi, quam ponit Auic. sint xxx. grana. scammonia, sunt cum repressione ipsorum ad tertiam partem. Nam sicut in primo capite dictum est. Si medicina solutiua in iij. gradu addatur solutiua in primo, vel secundo, remittunt eam ad secundum gradum, maxime cum excedit quantitatem. & sic remittitur illa scammonia, quæ erat in xxx. granis ratione associatarum sibi ad x. grana. & illa est sua dosis conueniens maior, sicut expediebat sibi in euacuatione humorum melancholicorum.

Non tamen dubitandum est, quod illa dosis est nimis magna per id, quod est visum: quamuis Barth. non recte procedat ad improbandum eam; immo improbatio (si quæ est) patet per dicta Auicem. Verum est maxime considerandum in dosi medicinarum de scientia medicinarum, quia nunc tempore nostro medicinae sunt debiliores virtutis propter impressiones in regionibus ab aëtris vt Haly. super techn. tractatu tertio, commento 88. & non celebrantur ab apothecarijs. Etiam propter nostra mala regimina bene aggregantur humores difficilis eradicationis, vt Galen. in commento 28. par. 6. scilicet. (Eunuchi non podagrizant.) Ex his duobus debentur maiores doses, sed consolatae, & cum præparatione humorum.

Et etiam considerandum virtutes modernorum corporum, quæ pro certo sunt debiliores; nam fortitudo virtutis stat per complexionem bonas, & bonitatem humorum. Si ergo modo humores innaturales multiplicentur, destruantur pro certo virtutes, & ex hoc doses debent esse debiliores.

Et ideo posuerunt auctores gradus, & latitudines in dosibus, vt pro exemplo, de scammonia detur à gra. iij. vsque ad x. vel xij. quia debilius dosi in debilibus, & fortior in fortioribus, & mediocrius in mediocribus, & sic diuersificando eas per alias indicationes. Nam cum damus sine acute, & adiuuante eam, damus plus de ea; & cum damus cum iuuantibus, damus minus. & sic est intelligendum in alijs coniecturalibus.

Item medicina, quæ diu steterunt, sunt fermentate simul, & impressio solutiuorum est debilius; sed recenter factæ habent de virtute solutiui multum.

Et ex hoc notandum, q. medicinae solutiua in quarto gradu sunt meliores in pilulis, cum sint plus fermentatae, & ideo securiores; alia autem scilicet tertij gradus possunt dari in confectione, & decoctione, ubi non stent nimis, & si stent diu, potest dari maior dosis. Solutiua autem primi, & secundi gradus debent dari recentiores, siue recenter.

Expeditum est supra hoc, quod de esse medicinarum concepimus. Deo autē duce dicemus super quinto colligit de alijs medicinis, & cibis, sicut diu opinati sumus, quod sic est dare quatuor gradus in cibis, sicut in medicinis tam solutiuis, quam non solutiuis, vt si verbi gratia, secundum quod inuestigat Auerr. cibus temperatus est caro humana, & cibus primi gradus, caro perdicis, hædi, caponis, & in secundo gradu paruos pullos, & in tertio, carnes communes, & in quarto cibaria, quæ aut substantia sua sunt crassa, nec humano corpori proportionata; aut cibaria habentia rationem medicinae, vt falsa, acetosa, lubricatiua, &c. de quibus ad prædictum locum referuamus.

F I N I S.

Gentilis Fulginei de medicinarum solutiuorum compositionum dosi breui, & inuestiganda libellus explicat.

Incipit

Nota.

Pro hoc videri de Tacuinis
sanit. tuen.
Elucubrati.
Elucidat.
Medici de
Raldash. 20
Auer. 10.
sum 1. Col.
16. 2. 34. &
seq.
panis.